

CAPITULUM 10
DE DEFINITIONIBUS DIFFERENTIAE

§1

Quas etiam determinantes... 10,22-11,2 . Ista est secunda pars huius capituli, in qua Porphyrius ponit definitiones differentiae quas determinaverunt antiqui Peripatetici, postquam manifestavit omnes distinctiones differentiarum, eligens eam differentiam quae est unum quinque praedicabilium. Dividitur ergo pars ista in quinque definitiones differentiae, iuxta numerum quinarium distinctionum partis praecedentis. Secunda definitio incipit ibi: ¹ definiunt autem; tertia ibi: ² describunt autem; quarta ibi: ³ assignant autem; quinta ibi: ^{3bis} interius autem.

Prima ergo definitio est haec: differentia est illud quo abundat species a genere. Ista definitio exemplariter declaratur: nam homo plus habet quam animal illas duas differentias, videlicet rationale, mortale, quoniam homo est rationalis et mortalis secundum naturam suam et secundum intellectum. Secundum naturam suam, quia si aliquid est homo illud est rationale et mortale; secundum vero intellectum, quia non intelligitur homo quin intelligatur rationale et mortale; eo quod differentiae sicut sunt principia essendi speciei, ita sunt eiusdem principia intelligendi. Animal autem non est secundum naturam suam neque, secundum intellectum aliquid illorum. Si enim secundum naturam suam animal esset rationale, nullum esset animal quod non esset rationale; et si secundum intellectum animal esset rationale, non posset intelligi animal quin intelligatur rationale - quae omnia falsa sunt. Si igitur differentia per se competit speciei tam secundum naturam quam secundum intellectum, non autem competit generi aliquo istorum modorum, sequitur quod differentia est illud quo abundat species a genere.

Lege litteram: quas etiam determinantes per definitiones differen

tias ipsi Peripatetici dicunt: differentia est qua abundat species a genere, differentia est illud quod species plus habet quam genus; homo enim ab animali plus habet rationale et mortale; animal enim neque ipsum nihil horum est, id est: ipsum animal non est per se aliquod istorum.

§2

Nam unde habet... 11,2-4 . Sed dubitatur -inquit Porphyrius- si species habet differentias quae sunt principia ipsius. Quaeritur a quo habet; si dicitur quod a nullo, sequitur quod aliquid fit ex nihilo -quod est impossibile. Et patet consequentia, quia differentiae fiunt partes speciei. Si autem ab aliquo fiunt, videtur quod a genere; tunc arguitur sic; si differentiae speciei fiunt a genere, et nihil dat quod non habet, igitur differentiae speciei sunt in genere; sed non est ratio propter quam una differentia est in genere quin per idem opposita sit in eodem genere; ergo opposita sunt simul in eodem,

Lege litteram: nam unde habet species differentias; neque enim oppositas habet genus; nam in eodem simul habet opposita.

§3

Sed quemadmodum probant... 11,4-6 . Respondet Porphyrius quod est respondendum eo modo quo probant Peripatetici omnes differentias generis esse in genere et sub genere, videlicet potestate. Nullam autem habet in actu. Quo habito non sequitur quod aliquid fiat ex nihilo, aut quod aliquid simul habeat actu opposita in eodem. Quod enim duo opposita sint potentia simul in eodem non est inconueniens, sed quod sint actu simul in eodem est impossibile quoniam tunc simul verificarentur opposita de eodem, contraria et contradictoria. Nam albedo et nigredo sunt potentia in aliquo corpore, quia idem corpus numero potest esse album et nigrum; sed non sunt actu in aliquo corpore, quia tunc idem corpus numero esset album et nigrum.

Et quia omne album est non nigrum et omne nigrum est non album, idem esset album et non album, nigrum et non nigrum. Ita est dicendum de differentiis oppositis, quod sunt simul potentia in genere, sed non sunt simul actu in illo. Sicut enim esse potentia in materia est esse in ea sicut in subiecto indeterminato, esse autem actu in materia est esse in ea sicut in subiecto determinato, ita differentiae oppositae sunt potentia in genere, in quantum ipsum habet esse indeterminatum; si autem essent actu in ipso, necessario haberet esse determinatum, et consequenter differentiae oppositae essent simul partes eiusdem speciei -quod est impossibile. Et quod illud sequatur arguitur: si enim forma terrae et forma aëris, aut forma ignis et forma aquae essent simul actu in materia eadem, necessario quaelibet illarum formarum esset pars alicuius compositi naturalis; ita si rationale et irrationale sunt actu in animali, necesse est quod trahant ipsum animal ad determinatam speciem animalis cuius sint partes et principia; et sic de aliqua specie, et consequenter de quolibet suo individuo verificabitur rationale et irrationale -quod est impossibile.

Lege litteram: sed quemadmodum probant Peripatetici genus potestate quidem habet omnes differentias sub se, actu vero nullam; at sic neque ex his quae non sunt aliquid fit, neque in eodem simul habebit opposita, scilicet actu.

§4

Secundum quam potestatem differentia est in genere

Notandum quod Albertus⁴ movet istam quaestionem: cum potestas non videatur dicere nisi unam quattuor causarum, ut colligitur a Philosopho, V Metaphysicae,⁵ utrum differentia sit potestate in genere secundum potestatem causae materialis, aut formalis, aut finalis aut efficientis.

Primo quidem differentia non videtur esse in genere secundum pote

statem causae materialis, quia tunc oporteret quod per motum vel mutationem educeretur differentia de potentia generis, eo quod potentia passiva seu materialis est principium transmutandi ex alio secundum quod est aliud, ut habetur V et IX Metaphysicae.⁶ Et quia nihil reducitur de potentia ad actum nisi per agens, ut Commentator ibidem⁷ probat, oporteret dare agens extrahens differentiam de potentia generis. Quod est valde difficile invenire.

Secundo arguitur quod differentia non est in genere secundum potestatem causae formalis, quia tunc genus esset forma et praedicaretur in quale sicut differentia -quod est falsum, quia praedicatur in quid, secundum Porphyrium⁸ et non solum esset forma sed esset forma differentiae -cuius oppositum ponit hic Porphyrius,⁹ dicens quod genus est sicut materia, et differentia sicut forma, species autem sicut compositum ex materia et forma.

Tertio arguitur quod differentia non est in genere secundum potestatem causae finalis, quia forma et finis sunt unum et idem secundum rem, differunt autem ratione, ut probatur Philosophus, II Physicorum,¹⁰ eo quod forma ut forma dat esse, finis autem ut sic terminat motum. Si ergo differentia non est in genere secundum potestatem formae, consequens est quod non sit in ipso secundum potestatem finis.

Quarto arguitur quod differentia non est in genere secundum potestatem causae efficientis, quia tunc oporteret assignare materiam de cuius potentia genus educeret differentiam, quae quidem materia esset pars speciei, et non genus -contra Porphyrium. Et cum omne agens agat secundum quod est in actu, ut habet videri III Physicorum,¹¹ sequitur quod differentia est actu in genere -cuius oppositum dicunt Peripatetici.

Si autem diceretur quod differentia est in genere sicut in semine, in quo est virtus formativa et materia, effectus generandi, ut colligitur a Philosopho, II Physicorum,¹² hoc stare non potest, quia non ap

paret quae res esset illa materia et illa virtus formativa generis, utrum substantia vel accidens, aut ens transcendens vel aliquid aliud. Immo sequeretur quod genus componeretur ex materia et forma sicut semen -quod est inconueniens.

Respondet Albertus,¹³ secundum Commentatorem, V Metaphysicae,¹⁴ quod genus non est materia, sed forma confusa et indistincta. Non quidem forma partis, quia non praedicaretur de specie sicut nec forma de materia praedicatur, sed est forma totius. Non quidem existentis in actu, quia tunc praedicaretur in quale de specie sicut differentia, sed est forma totius existentis in potentia. Unde omnia superiora sunt actu in suis inferioribus, e contra autem inferiora dicuntur esse potentia in suis superioribus. Genus igitur est forma totius existentis in potentia, differentia est forma totius existentis in actu, species autem est ipsum totum partim in actu et partim in potentia: in actu quidem per differentiam, in potentia vero per genus.

Ex quibus sequitur quod genus dicit conceptum distinguibilem et determinabilem, ideo praedicatur in quid; differentia dicit conceptum distinguentem et determinantem, ideo praedicatur in quale; specie vero dicit conceptum distinctum et determinatum, propterea praedicatur in quid. Omne enim praedicabile dicens conceptum determinatum vel determinabilem praedicatur in quid, omne vero praedicabile dicens conceptum determinantem vel determinativum praedicatur in quale.

Dicendum igitur quod differentia est potestate in genere secundum omnia quattuor genera causarum. Genus enim ut determinatur per differentiam habet rationem materiae; ut praedicatur de specie habet rationem formae; et quia forma et finis sunt unum et idem, sic habet rationem finis, et maxime quando ascenditur colligendo multitudinem -in genere enim terminatur motus ille-; habet autem rationem efficientis in quantum assimilatur patri per descensum ad inferiora eundo in multitudinem. Ipse tamen intellectus primi agentis est causa efficiens

differentiae, ipsam extrahens de potentia generis et ad esse speciei conducens.

§5

Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra dicta in littera arguitur. Et primo quod differentia non est potentia in genere, quia si aliqua forma est potentia in materia, il la forma non est, eo quod potentia corrumpitur in adventu formae, ut probat Commentator I Physicorum.¹⁵ Si igitur quaelibet differentia est potentia in genere, sequitur quod nulla differentia est, et consequenter nulla species est, eo quod differentia est pars et principium speciei, per Porphyrium¹⁶ hic.

Secundo arguitur quod differentia nullo modo est in genere, quia si est in genere, aut igitur quia est sub genere, ut dicitur in littera, aut quia participat genus. Non potest dici primum, quia sub genere nihil invenitur nisi species aut individuum, ut est probatum in alio capitulo. Non etiam potest dici secundum, quia omne participans genus superaddit aliquid generi; si ergo differentia participat genus, necesse est quod aliquid superaddat. Illud quidem additum non potest esse nisi differentia, et per consequens differentia componitur ex genere et differentia. Quo concesso, sequitur quod differentia est speciei; immo quod est procedere in infinitum in differentiis, quia si una differentia participat genus, per idem et quaelibet alia.

Tertio arguitur quod si aliqua differentia est in genere, illa necessario est actu in genere. Quoniam si aliqua forma determinat materiam et illam trahit ad determinatum compositum, illa de necessitate est actu in materia; sed differentia determinat genus et ipsum trahit ad determinatam speciem; igitur differentia est actu in genere; et non solum una, sed etiam sua opposita, quia quaelibet earum determinat generus et ipsum trahit ad determinatam speciem. Ut arguatur sic: quaeli

bet istarum est actu vera 'animal est rationale', 'animal est irrationale', sicut quaelibet istarum est actu vera 'homo est albus', 'homo est niger'; igitur rationale et irrationale sunt actu in animali sicut albedo et nigredo sunt actu in homine.

Quarto arguitur quod differentia non facit speciem abundare a genere, quoniam genus abundat a specie, igitur etc. Probatur antecedens: omne totum ad aliquam partem abundat ab illa parte, quoniam continet illam et aliquid plus; sed genus est totum speciei, per Porphyrium;¹⁷ igitur genus abundat a specie. Animal enim est communius quam sit homo et est magis collectivum, ut fuit probatum in alio capitulo; igitur animal abundat ab homine, et consequenter a qualibet alia specie.

Ad primum dicitur quod duplex est potentia materiae, videlicet subiectiva et respectiva. Potentia subiectiva est passio materiae secundum quam recipit omnem formam; de qua loquitur Philosophus, IX Metaphysicae,¹⁸ dicens quod eadem est potentia contrariorum, et in Praedicamentis¹⁹ quod secunda species qualitatis est naturalis potentia vel impotentia. Potentia respectiva est illa per quam materia respicit determinatam formam; de qua loquitur Commentator, I Physicorum,²⁰ dicens quod potentia materiae non est de substantia materiae, sed est de praedicamento relationis, quae corrumpitur in adventu formae, et III Physicorum²¹ dicit quod potentiae ad contraria sunt contrariae. Quando ergo dicitur quod differentia est potentia in genere non debet intelligi de potentia respectiva, quia illa excludit actum et opponitur actui, per Commentatorem in prologo De anima,²² sed debet intelligi de potentia subiectiva; nam genus est subiectum differentiae, ex quibus componitur species. Ideo genus se habet ut potentia et differentia ut actus. Dicit enim Philosophus, et Commentator, IX Metaphysicae,²³ quod omne compositum ex duobus componitur ex uno tanquam ex potentia et ex alio tanquam ex actu. Forma autem generanda est potentia respectiva in materia; postquam autem generata est, dicitur esse potentia

subiectiva in materia.

Ad secundum respondetur quod aliquid esse in genere contingit tripliciter, videlicet per praedicationem, per reductionem et per determinationem. Illud est in genere per praedicationem de quo genus per se et essentialiter praedicatur; et sic species et individua sunt in genere. Illud est in genere per reductionem quod est principium illius generis aut via ad rem eiusdem generis. Materia et forma dicuntur esse in genere substantiae tanquam principia illius generis; punctus et unitas sunt in genere quantitatis tanquam principia illius generis; motus vero est in genere quantitatis, qualitatis et ubi, secundum Philosophum, V Physicorum,²⁴ quia est via perveniendi ad aliquam rem alicuius istorum generum. Et sic loquitur Philosophus, III Physicorum,²⁵ dicens quod motus est de eodem genere cum termino ad quem. Illud vero est in genere per determinationem quod est determinatio alicuius generis; sic enim esse in genere est in eo esse sicut in subiecto, eo modo quo forma est in materia et accidens in subiecto. Non ergo differentia est in genere per participationem, sed per determinationem et emanationem, quia fluit a genere et ipsum determinat. Non etiam differentia est sub genere per praedicationem, sed per emanationem. Sicut enim materia est causa formae, ita forma est causa materiae; sicut ergo dicitur quod materia est sub forma ratione determinationis, ita e contra est dicendum quod forma est sub materia ratione emanationis. Forma enim, quia emanat et fluit a materia et eam praesupponit, dicitur esse sub materia, eo modo quo effectus est sub sua causa et posterius sub suo priori. Genus ergo est sub differentia ratione determinationis, e contra vero differentia est suo genere ratione emanationis.

Ad tertium respondetur quod idem est dicendum de actualitate differentiae in genere et de perseitate formae in materia. Nam forma naturalis est per se in materia prima et in materia secunda. Est quidem per se in materia prima non perseitate materiae, sed perseitate for-

mae; quoniam prima materia nullam sibi determinat formam naturalem, quaelibet autem forma naturalis sibi determinat primam materiam. Est autem forma naturalis per se in materia secunda tam perseitate materiae quam perseitate formae, quoniam non solum forma naturalis determinat sibi certam materiam secundam, sed etiam quaelibet materia secunda determinat sibi certam formam naturalem, iuxta illud Philosophi II De anima;²⁶ "uniuscuiusque proprius actus est in propria materia"; alioquin diversitas formarum non proveniret ex diversitate materiae, contra Philosophum, VII Metaphysicae.²⁷ Ita in proposito est dicendum quod differentiam esse actu in genere potest dupliciter intelligi: aut igitur actualitate generis aut actualitate differentiae. Non autem actualitate generis, quia genus nullam sibi differentiam determinat, quia dato opposito sicut sibi determinaret unam ita et suam oppositam, et tunc cum ambabus descenderet in determinatam speciem et in determinatum individuum; et sic opposita essent simul actu in eodem, non solum genere vel specie, sed in eodem numero. Concedatur ergo quod differentia est actu in genere actualitate differentiae, quoniam quaelibet differentia sibi determinat certum genus, et hoc intendit Philosophus in Postpraedicamentis²⁸ et X Metaphysicae,²⁹ dicens quod opposita habent fieri circa idem genus. Neque inconvenit, immo est necessarium, quod opposita sint simul actu in eodem, non quidem eodem numero, sed eodem genere vel specie.

Ad quartum respondetur quod genus est pars speciei et est totum speciei. In eo quod est pars speciei, continetur a specie; et sic species abundat a genere per differentiam. In eo autem quod genus est totum speciei, sic genus continet speciem et abundat ab ea. Et quia genus est actu in specie, species autem est potentia in genere, et unum quodque magis denominatur ab actu quam a potentia, ideo species simpliciter abundat a genere, genus autem secundum quid abundat a specie. Sequitur etiam quod continentia generis est continentia in potentia

et indeterminata; continentia autem speciei, quae continet genus et differentiam, est continentia actualis et determinata.

Et si aliquis instaret, dicens: 'genus est totum speciei; et omne totum dicit formam; forma autem, ut sic, praedicatur in quale; igitur genus praedicatur in quale et non in quid de specie', responderetur quod non quaelibet forma praedicatur in quale, sed solum illa quae praedicatur per modum determinantis et distinguentis. Et quia differentia, proprium et accidens habent hunc modum praedicandi, ideo quodlibet illorum praedicatur in quale. Forma autem quae praedicatur per modum determinabilis vel determinati praedicatur in quid, sicut genus et species; determinatur enim genus a differentia formali, et species a differentia materiali. Quod enim genus sit forma speciei et species individui, patet per illud Philosophi, II Physicorum³⁰ et V Metaphysicae,³¹ "quodlibet superius est forma sui inferioris". Patet ergo quod genus habet rationem formae et rationem materiae. Habet rationem formae in quantum est totum suarum specierum et in quantum est pars definitionis, quoniam dicit Philosophus in loco allegato³² quod definitio et quaelibet pars definitionis est forma; definitio enim datur causa innotescendi, per Philosophum, VI Topicorum.³³ Nihil autem facit cognoscere secundum quod habet rationem materiae, sed secundum quod habet rationem formae, per Philosophum, IX Metaphysicae.³⁴ Habet autem genus rationem materiae secundum quod est subiectum differentiae et secundum quod est pars speciei.

§6

Definiunt autem... 11,7-12 . Secunda definitio quam antiqui Peripatetici dederunt est haec: differentia est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale. Quod praedicetur de pluribus differentibus specie, manifestum est, quia rationale praedicatur de hominibus et diis, qui differunt specie; mortale autem prae-

dicatur de hominibus et brutis, quae etiam differunt specie.

Sed quod differentia praedicatur in quale, probat dupliciter Porphyrius. Et primo sic: illud praedicatur in quale per quod convenienter respondetur ad quaestionem quaerentem quale est hoc; sed ad quaestionem quaerentem de aliqua specie quale est hoc, respondetur per differentiam; igitur etc. Maior est de se nota, et minor declaratur. Si enim quaeritur quid est homo numquam respondebitur quod rationalis aut mortalis est, sed respondebitur quod est animal; si autem quaeritur quale animal est homo, respondetur rationale et mortale. Sicut ergo illud quod praedicatur in quid non assignatur in abstracto, sed in concreto, quia non dicimus quod humanitas aut animalitas praedicatur in quid, sed homo et animal, ita illud quod praedicatur in quale debet assignari in concreto importante subiectum et formam. Non enim dicimus quod rationalitas aut risibilitas aut albedo praedicatur in quale, sed rationale et risibile et album.

Lege litteram: definiunt autem Peripatetici et hoc modo: differentia est quod de pluribus differentibus specie in eo quod quale sit praedicatur. Rationale enim et mortale de homine praedicantur; in eo enim quod quale est homo dicitur, sed non in eo quod quid est. Quid est enim homo interrogatis nobis, conveniens est dicere animal; quale autem animal inquisiti, quoniam rationale et mortale est convenienter assignabimus.

§7

Rebus enim ex materia... 11,12-18 . Secundo sic: si aliqua res componitur ex materia et forma, aut componitur vel constituitur ad similitudinem formae et materiae, necesse est unum componentium habere modum praedicandi in quid et alterum habere modum praedicandi in quale; sed species componitur ad similitudinem formae et materiae; igitur componentium speciem unum habet modum praedicandi in quid et alterum

habet modum praedicandi in quale.

Tenet consequentia cum maiori, quoniam in omni tali compositione unum componentium est determinatum et reliquum est determinans; constat autem ex his quae dicta sunt quod determinatum habet modum praedicandi in quid et determinans habet modum praedicandi in quale. Minor vero declaratur: nam sicut statua componitur ex aere et figura, ita species componitur ex genere et differentia; et sicut aes est materia statuae et figura est forma eius, ita homo, sive sit communis sive specialis, componitur proportionaliter ex genere sicut ex materia et ex differentia tanquam ex forma. Et sicut compositum ex aere et figura est statua, ita hoc totum animal rationale mortale est homo.

Tunc arguitur sic: componentium speciem unum habet modum praedicandi in quid et alterum habet modum praedicandi in quale; sed genus, quod est unum componentium speciem habet modum praedicandi in quid, quia determinatur; igitur differentia, quae est alterum componentium, habet modum praedicandi in quale, ex quo ipsa est determinans.

Lege litteram: rebus enim ex materia et forma constantibus, vel ad similitudinem materiae et formae et proportionem et constitutionem habentibus necesse est quod unum componentium habeat modum praedicandi in quid et alterum in quale. Quemadmodum statua ex materia est aëris, ex forma autem figura, et homo communis et specielis ex materia quidem similiter proportionaliterque consistit genere, ex forma autem differentia. Totum autem hoc, animal rationale mortale, est homo, quemadmodum illic statua est aes et figura.

§8

Utrum secunda definitio differentiae sit bene data

Notandum quod ista definitio differentiae est dubia propter ultimam differentiam speciei specialissimae, quae non videtur praedicari de pluribus differentibus specie, ex quo convertitur cum specie specialis

sim

sima, per Aristotelem, VII Metaphysicae.³⁵

Et ideo ad declarationem huius difficultatis Albertus³⁶ ponit quam plurimas responsiones. Quarum prim dixit quod duplex est differentia, videlicet simplex et compopita. Differentia simplex est illa quae sola coniuncta generi constituit speciem et definitionem speciei, cuiusmodi sunt animatum et inanimatum, sensibile et insensibile, et aliae differentiae constituentes species subalternas. Differentia composita est illa quae sola coniuncta generi non constituit speciem neque definitionem speciei, sed requiritur aggregatio alterius differentiae cum illa, cuiusmodi sunt mortale et immortale, et aliae differentiae ultimae specierum specialissimarum. Mortale enim additum generi non constituit speciem neque definitionem speciei, sed oportet quod sibi addatur alia differentia, dicendo 'animal rationale mortale' aut 'animal irrationale mortale'. Quaelibet igitur istarum differentiarum praedicatur de pluribus differentibus specie, sed aggregatum ex multis convertitur cum specie, quod quidem non est proprie differentia, sed magis assimilatur definitioni.

Istam responsionem secutus est Burlaeus,³⁷ dicens quod impossibile est differentiam aliquam ultimum converti cum specie specialissima quia differentia non ponitur nisi ad distinguendum unam speciem ab aliis speciebus et ad constituendum definitionem speciei. Sed propter nullum istorum oportet ponere differentiam convertibilem cum specie specialissima; non enim oportet ponere talem differentiam ut distinguatur species a specie. Quia per differentiam superiorem distinguitur species sufficienter a speciebus aliis contentis sub eodem genere proximo, ut homo sufficienter distinguitur per rationale ab omni alia specie contenta sub animali; et per sum genus sufficienter distinguitur ab aliis speciebus quae non continentur sub illo genere. Ita quod per rationale distinguitur ab equo et bove et aliis animalibus, non autem per rationale distinguitur ab angelis, sed per animal. Non etiam

requiritur convertibilitas talis differentiae cum specie specialissima propter constituere definitionem speciei, quia definitio sufficienter constituitur ex genere et differentiis superioribus, ut patet per Philosophum, II Posteriorum,³⁸ dicentem quod quaelibet pars definitionis est in plus quam definitum et totum in aequae -sicut in definitione hominis data a Porphyrio per 'animal rationale mortale'. Ita quod bene datur ultima differentia praedicamenti, quia aliter procederetur in infinitum; sed nulla convertitur cum specie specialissima. Et ad Philosophum respondet quod ultima differentia posita in definitione cum aliis differentiis praecedentibus facit unum convertibile cum specie; non autem ipsa convertitur cum specie.

Contra hanc opinionem est sententia expressa Aristotelis, VII Metaphysicae,³⁹ dicentis quod ab ultima differentia tam definitio quam definitum capit unitatem; constat autem quod non caperet unitatem ab illa si communis esset multis speciebus.

Commentator⁴⁰ autem dicit ibi quod omnia praecedentia ultimam differentiam sunt circumlocutio proximi generis, qua circumlocutione non indigeremus si nomina proximorum generum haberemus; igitur differentia ultima coniuncta proximo generi convertitur cum specie.

Et Boethius in libro Divisionum⁴¹ dicit quod si non esset penuria nominum quaelibet definitio tantum ex duobus terminis constaret, scilicet nomine generis et nomine differentiae ultimae, quae genus restringit ad speciem. Neque Porphyrius vult quod species specialissima non habeat differentiam ultimam convertibilem cum ea, sed propter penuriam vocabulorum ponuntur plures differentiae loco unius simplicis.

Dicendum ergo ad Burlaeum quod requiritur convertibilitas ultimae differentiae et propter distinctionem speciei et propter definitionem eiusdem. Si enim rationale est ultima differentia hominis, impossibile est quod homo in rationali conveniat cum angelo, quia si conveniret oporteret dare unam aliam differentiam minus communem in qua differret;

et si sic rationale non esset ultima differentia. Necessaria est etiam convertibilitas ultimae differentiae propter definitionem, alioquin definitio non esset una. Quando autem dicit Philosophus, II Posteriorum,⁴² quod quaelibet pars definitionis est in plus quam definitum et totum in aequae, non dicit hoc generaliter de qualibet definitione, sed de illa quae datur propter ignorantiam ultimae differentiae et propriae passionis. Unde dicit ibi quod omnis definitio debet dari per genus proximum et differentiam convertibilem, quae si ignoretur debet dari per illud genus et propriam passionem convertibilem. Qua ignorata debet tunc inveniri una definitio cuius quaelibet pars est in plus quam definitum et totum in aequae per convertibilitatem. Et exemplificat de binario et trinario, dicens "ut binarius est numerus per primus", 'trinarius est numerus impar primus'. Ubi patet quod quaelibet pars definitionis est communior definito, totam autem definitio convertitur cum illo.

Secunda responsio fuit quod quanto species sunt inferiores tanto sunt certiores -ita quod certissimae sunt species specialissimae- et quanto differentiae divisivae sunt superiores tanto sunt certiores -unde certiores et notiores sunt dividentes generalissimum quam subalternum. Ita quod tandem differentiae specierum specialissimarum paucis sunt notae et nominatae, quamvis species illae notissimae sint. Et quia differentiae generales dicuntur notae et illae de pluribus differentibus specie praedicantur, ideo de omnibus, logice loquendo, probabiliter dictum est quod differentia de pluribus differentibus specie praedicatur; illud enim est probabile quod in pluribus verum est, per Philosophum, I Topicorum.⁴³

Hanc responsionem secutus est Marsilius,⁴⁴ dicens quod definitio hic data a Porphyrio solum de specie subalterna intelligi debet. In communi autem debet sic definiri 'differentia est praedicabile essentialiter de pluribus in quale', sic quod omittatur illa particula

'differentibus specie'; et isto modo cuilibet differentiae competit, sive sit differentia speciei specialissimae sive subalternae. Praedicatur autem differentia in quale -dicit ille- quia connotat aliquod extrinsecum rei. Unde 'homo' et 'rationale' licet unam et eandem rem significant, et pro eadem re supponant, tamen, quia 'homo' nihil ~~ex~~ extrinsecum connotat, sicut 'album', quod connotat albedinem extrinsecam subiecto, ideo 'homo' non praedicatur in quale; 'rationale' autem praedicatur in quale, quia connotat aliquod extrinsecum, scilicet animam intellectivam. 'Sensitivum' autem connotat animam sensitivam, et aliae differentiae superiores connotant aliquam formam substantialem.

Ista responsio insufficiens est, quoniam definitio debet convenire omni et soli, ut probatur VI Topicorum,⁴⁵ haec autem non convenit differentiae speciei specialissimae. Non enim conveniens est quod generaliter per definitionem determinetur illud cuius oppositum convincitur esse verum; omnes autem philosophi sciunt quod haec definitio non competit omni differentiae. Sicut ergo in praecedentibus capitulis definit Porphyrius genus in communi, cuius definitio competit cuilibet generi, et definit speciem in communi, cuius definitio competit cuilibet speciei, ita iam definit differentiam in communi, cuius definitio debet competere cuilibet differentiae.

Praeterea ratio quam assignat Marsilius, unde species non praedicatur in quale et differentia praedicatur in quale, non valet, quia tempus et numerus sunt species praedicamenti quantitatis, et tamen connotant aliquod extrinsecum, videlicet animam, per Aristotelem, IV Physicorum;⁴⁶ simitas et aquilinitas sunt species praedicamenti qualitatis, et connotant aliquod extrinsecum, videlicet nasum; et generaliter omnes species praedicamentorum respectivorum connotant aliquod extrinsecum. Nec est verum quod rationale connotando animam intellectivam connotat aliquod extrinsecum, quia anima intellectiva est intrinseca homini, quem rationale significat. Illud autem extrinsecum connotatum est rationis

tiocinatio. Similiter anima sensitiva est intrinseca animali, quod significat sensitivum; illud autem extrinsecum connotatum est sensatio. Dicatur ergo quod ideo species praedicatur in quid quia habet se per modum determinabilis; differentia vero praedicatur in quale quia habet se per modum determinantis.

Tertia responsio fuit quod sicut aliqua species praedicatur actu de uno individuo tantum ut sol, et aliqua de pluribus individuis, ut homo, quaelibet tamen est praedicabilis de pluribus differentibus numero, in quantum est apta nata de pluribus individuis praedicari et in pluribus individuis esse, ita aliqua differentia praedicatur actu de unica specie, aliqua autem actu praedicatur de pluribus, tamen quaelibet differentia est praedicabilis de pluribus differentibus specie, in quantum ipsa est apta nata praedicari de pluribus speciebus. Sicut ergo hoc verbum 'praedicatur' in definitione speciei dicit aptitudinem et non actum, ita et in definitione differentiae.

Et istam responsionem iam plures sustinent, dicentes quod quaelibet differentia, sive sit speciei specialissimae sive subalternae, de pluribus speciebus praedicabilis est, quia de se non ponit determinatum genus neque determinatam speciem. Sicut rationale significat illud q quod habet rationalitatem, ita quod quidquid habet rationalitatem, sive sit animal sive aliquid aliud, sive sit homo sive non homo, de illo potest rationale praedicari.

Istam responsionem recitat Avicenna,⁴⁷ quam etiam reprobatur, dicens quod species est una et certa, quia unica differentia constituitur quae nullo modo habet aptitudinem essendi in alia specie. Quare enim magis determinaret genus et ipsum contraheret ad hanc determinatam speciem quam ad aliam si haberet aptitudinem ad plures indifferenter. Si etiam non poneret determinatum genus neque determinatam speciem, tunc posset praedicari non solum de pluribus differentibus specie, sed etiam genere -quod est falsum. Necesse est ergo quod differentia ponat determi-

natum genus divisibile per eam et determinatam speciem constituibilem per ipsam.

Quarta responsio fuit quod sicut species in eo quod species praedicatur de pluribus differentibus numero, et genus in eo quod genus praedicatur de pluribus differentibus specie inter se, ita differentia secundum quod huiusmodi praedicatur de pluribus differentibus specie ab alio. Sic quod praedicatur de pluribus quorum quodlibet differt specie ab alio, scilicet a suo opposito vel disparato. Sicut, verbi gratia, cum dicimus quod omnis homo gladio percutit, non est intelligendum quod quilibet homo singularis gladio aliquo percutiat, sed quod quicumque percutit non nisi gladio percutit, ita, cum dicitur 'omnis differentia praedicatur de pluribus differentibus specie' non est intelligendum quod omnia de quibus praedicatur differentia sint plura secundum speciem, sed quod omnia illa de quibus praedicatur differentia aliqua specie differunt a suis oppositis vel disparatis.

Hanc responsionem etiam recitat Avicenna,⁴⁸ dicens ipsam non bene exponere intellectum Porphyrii. Dicit enim Philosophus in Topicis⁴⁹ quod differentia, cum sit generalis, cum genere collocanda est; ideo praedicatur de pluribus quae differunt specie inter se, sicut genus. Dato enim illo modo exponendi sequitur quod species specialissima praedicatur de pluribus differentibus specie, quia praedicatur de pluribus quae specie differunt a suis oppositis vel disparatis.

Propterea dicit Avicenna⁵⁰ quod differentia tria facit: dividit enim, constituit et appropriat. Dividit enim genus, et ex hoc est differentia, quia divisio separatio est, separatio autem est causa differentiae separatorum. Constituit autem speciem, et hoc habet ab eo quod est divisiva generis, quia divisio per hoc quod separat separata contrahit et coartat ad ambitum generis divisi. Appropriat vero non ex eo quia divisiva est, neque constitutiva, sed ex propria natura, per quam consequenter ab aliis differt, quia natura illa in aliis non invenitur.

Et quia semper prior differentia est virtualiter in sequente, sicut corporeum in animato, et animatum in sensibili, et sensibile in ratio nali, sicut trigonum in tetragono, ideo illud quod est proprium unius naturae non vero nomine est differentia. Quia licet sit actus simplex et simplex essentia, non tamen est unius simplicis virtutis sed multi plicis, quia virtutes omnium illorum sunt in eo, ex quibus secundum ordinem fluit sicut ex causis primariis. Quando ergo dicitur 'differentia praedicatur de pluribus differentibus specie' illud est intelligendum de illis quae vere sunt differentiae et simplicis virtutis. Differentia autem quae appropriant, certificant et determinant non vere sunt differentiae, sed naturae quibus aliquid ad alterum comparatum potest differre. Hanc expositionem affirmat Albertus,⁵¹ quam Alfarabii et Averrois dicit fuisse sententiam.

Sed certe ista responsio est satis dubia, quoniam sequitur quod nul la differentia vero nomine dicitur differentia, nisi illa quae dividit generalissimum, quia sola illa est simplex formaliter et virtualiter, eo quod quaelibet sequens illam includit. Et consequenter sequitur quod definitio differentiae non competit nisi differentiis generi generalis simi. Constat autem quod haec omnia sunt contra determinationem Prphyrii.

Item, omnis differentia per se est vero nomine differentia, aliter non diceretur differentia per se; sed quaelibet differentia, sive sit speciei specialissimae sive subalternae, sive dividat genus generalis simum sive subalternum, est differentia per se, secundum Porphyrium; ergo quaelibet talis vero nomine est differentia; et per consequens definitio differentiae omnibus talibus differentiis competit.

Dicendum igitur quod differentia duplicem habet habitudinem ad sum genus, videlicet emanationis et determinationis. Habitudo emanationis est prior habitudine determinationis; prius enim differentia fluit a genere quam ipsum determinet per divisionem, sicut forma naturalis

prius educitur de potentia materiae quam illi inhaereat. Differentia ergo, quaecunque sit illa, ut dicit habitudinem emanationis est praedicabilis de pluribus differentibus specie, ut autem dicit habitudinem determinationis aliquando praedicatur tantum de una specie et aliquando de pluribus, secundum quod dividit genus et ipsum determinat ad unam speciem vel ad plures. Non ergo definit hic Porphyrius differentiam ut dividit genus aut constituit speciem, quia ut constituit speciem dedit primam definitionem, ut autem dividit genus dabit tertiam definitionem; sed eam definit absolute in eo quod differentia.

Et si arguitur 'differentia non est differentia nisi in quantum dividit genus et constituit speciem', verum est in actu. In potentia autem est differentia ante quam constituat speciem vel dividat genus. Quantitas enim prius fluit a materia quam sit inhaesive in materia; et semper est accidens. Est autem accidens in actu ex hoc quod est inhaesive in materia, sed est accidens in potentia ex hoc quod fluit a materia.

§9

Quaedam instantia contra istam definitionem
differentiae, cum sua responsione

Contra definitionem differentiae instatur, quia tam proprium quam accidens videtur praedicari de pluribus differentibus specie in eo quod quale; igitur definitio illa competit alteri a definito; et per consequens non est bona.

Item, si differentia praedicatur in quale, sequitur quod definitio praedicetur in quale. Consequens est falsum, quia praedicatur in quid. Et quod illud sequatur arguitur: nam unumquodque magis denominatur ab actu quam a potentia, per Aristotelem, II Physicorum⁵² et IX Metaphysicae;⁵³ constat autem quod definitio componitur ex genere et differentia, quorum genus se habet ut potentia et differentia ut actus, secundum

quod est probatum; igitur definitio recipit modum praedicandi a diffe
rentia et non a genere.

Respondet Avicenna⁵⁴ quod, quia universale dividitur in quinque praed
dicabilia, ipsum debet intelligi in definitione differentiae loco gene
ris. Et quoniam differentia est qualitas tam speciei quam generis, non
quidem accidentalis, sed essentialis, ideo in definitione differentiae
debet intelligi modus praedicandi essentialiter et non accidentaliter.
Quapropter definitio differentiae data a Porphyrio debet sic intelligi:
differentia est universale essentialiter praedicabile de pluribus dif
ferentibus specie in eo quod quale. Dicitur 'essentialiter' ad exclu
dendum proprium et accidens, quia talia praedicantur in quale acciden
taliter et non essentialiter. Deinde subiungitur 'in quale' ad exclu
dendum genus et speciem, quoniam talia praedicantur in quid et non in
quale.

Deinde, cum arguitur quod definitio praedicatur in quale, negatur
consequentiam. Definitio enim non accipit modum praedicandi ab aliqua
suarum partium, sicut neque species; sed habet modum praedicandi in q
quid ex eo quia explicat totam quidditatem speciei. Sicut ergo species
praedicatur in quid, ita et definitio. Differentia ergo praedicatur in
quale quia dicit modum determinantis; genus et species praedicantur in
quid quia dicunt modum determinati. Ipsa vero definitio praedicatur in
quid quia explicat totam naturam speciei aut generis, quod praedicatur
in quid.

§10

Describunt autem... 11,18-20 . Tertia definitio est haec: diffe
rentia est illud quod est aptum natum dividere ea quae sunt sub eodem
genere.

Ista definitio exemplariter declaratur: nam homo et equus sunt sub
genere animalis, cuius differentiae divisivae sunt rationale et irra-

tionale; constat autem quod homo et equus invicem dividuntur, et loco et subiecto, per rationale et irrationale. Ex quo patet quod non est eadem divisio generis et suarum specierum, quoniam divisio generis est per determinationem, divisio autem suarum specierum est per separationem. Taliter enim dividitur genus quod manet secundum suam essentiam indivisibiliter in qualibet suarum specierum, ita quod per differentias oppositas determinatur et trahitur ad illas species. Ipsae autem species sic dividuntur quod non manet essentia unius cum essentia alterius; propterea divisio ipsarum est divisio separationis.

Lege litteram: describunt autem ipsi Peripatetici iterum huiusmodi differentiam hoc modo: differentia est quod aptum natum est dividere ea quae sunt sub eodem genere. Rationale enim et irrationale hominem et equum, quae sub eodem sunt genere, dividunt.

§11

De divisione generis in species per differentias

Notandum quod sicut materia habet diversas potentias per quas recipit omnes formas et efficitur principium intrinsecum cuiuslibet compositi naturalis, ita genus habet plures potentias per quas recipit omnes suas differentias et per quas efficitur principium intrinsecum specierum. Et sicut in divisione materiae tota essentia manet sub qualibet forma et in quolibet composito naturali, quia materia est ingenerabilis et incorruptibilis, ut probatur I Physicorum,⁵⁵ ita in divisione generis tota essentia manet sub qualibet suarum differentiarum et in qualibet suarum specierum.

Item, sicut materia dividitur secundum potentiam, ita quod per aliam potentiam recipit formam equi et per aliam formam hominis, et haec divisio est separatio potentiarum sicut est separatio formarum et compositorum, ita genus dividitur secundum potentiam, ita quod per aliam potentiam recipit unam differentiam, et per aliam recipit differentiam

oppositam; quae quidem differentiae habent separare species loco et subiecto.

Item, communitas materiae non est nisi communitas causalitatis ad receptionem omnium formarum; haec autem communitas dividitur, eo quod materia, quae secundum se est communis omnibus formis, per determinationem formae fit materia particularis in alio et in alio composito. Ita communitas generis est communitas praedicationis, quae dividitur et diminuitur, in quantum genus, quod est ex se commune per praedicationem omnibus speciebus, fit particulare in qualibet specie, eo quod non praedicatur de pluribus speciebus in quantum est pars alicuius speciei. Ista autem particularizatio fit per differentiam determinantem et contrahentem ipsum genus ad determinatam speciem. Et quia genus non solum materiae, sed etiam formae assimilatur, ideo eius divisio non solum per assimilationem materiae, sed etiam formae cognosci potest.

Supposita enim unitate intellectus possibilis in singulis hominibus, iuxta phantasiam Averrois commentatoris, III De anima,⁵⁶ dicemus quod intellectus dividitur in omnibus hominibus, non quidem secundum essentiam sed secundum potentiam, quia idem numero intellectus est in omnibus hominibus; sed non est eadem potentia numero sicut neque eadem unio vel operatio. Aliam anim unionem et aliam operationem habet in Sorte et aliam in Platone, sicut et diversa sunt phantasmata in eis. Contrahitur autem et determinatur ad diversa individua ex alia et alia anima cogitativa contrahente et determinante. Ita genus non dividitur secundum essentiam in suas species, quia idem genus numero est in omnibus suis speciebus -accipiendo unum numero non prout distinguitur contra unum genere et unum specie, sed prout distinguitur contra multa numero- sed dividitur secundum potentiam, quia alia est generis potentia in una specie et alia in alia, sicut alia et alia est differentia contrahens ipsum genus ad diversas species.

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur, concludendo opposita eorum ex assimilatione materiae. Primo namque materia non dividitur nisi per formas positivas, igitur neque genus debet dividi nisi per differentias positivas; constat autem quod irrationale, insensibile, inanimatum, incorporeum sunt differentiae privativae aut negativae.

Secundo, forma dividit actu tam materiam quam composita quae fiunt ex ea, ergo etiam differentia actu dividit tam genus quam speciem; et per consequens non bene definitur differentia per aptitudinem dividendi ea quae sunt sub eodem genere.

Tertio, materia non est eadem numero in diversis compositis simul existentibus, sed solum successive; igitur neque genus est idem numero in diversis speciebus simul existentibus. Patet consequentia, quia genus assimilatur materiae, secundum Porphyrium.⁵⁷

Quarto, sicut potentia materiae fundatur in materia, ita potentia generis radicatur in genere; sed numquam dividitur potentia materiae quin dividatur materia; igitur numquam dividitur potentia generis quin dividatur genus. Sicut ergo non eadem materia determinatur per diversas formas contrarias simul, ita neque idem genus per diversas differentias oppositas.

Ad primum respondet Avicenna,⁵⁸ et Alfarabius,⁵⁹ quod rationale et irrationale seu animatum et inanimatum, et alia similia privative et negative accepta non dicuntur vere differentiae; et consequenter non vere dividunt genus, eo quod differentia nihil nisi positivum significat. Tamen, quia nomina differentiarum nobis ignota sunt, sicut et ipsae differentiae, ipsa designamus per nomina privative aut negative sumpta. Differentia tamen opposita rationalis non assignatur per 'in' sed per 'ir', quia 'irrationale' maiorem positionem dicit quam 'irrationale'.

Ad secundum respondetur quod differentia est actu in genere et potentia in genere, et prius est potentia quam actu in genere. Est enim potentia in genere in quantum fluit a genere et in quantum genus est principium eius; est autem actu in genere in quantum dividit genus et ipsum trahit ad determinatam speciem. Non autem definitur hic differentia ut est actu in genere, sed ut est potentia in ipso; constat autem quod ut est potentia in genere dicit aptitudinem et non actum; ideo bene definitur differentia per aptitudinem cum dicitur "differentia est illud quod est aptum natum dividere ea quae sub eodem genere sunt".

Ad tertium negatur consequentia, quia communitas materiae est communitas transmutationis, communitas autem generis est communitas praedicationis. Ipsum enim genus de se non est hoc aliquid per materiam, neque hic per descriptionem loci, neque nunc per denominationem temporis, sed est quodlibet sub eo contentum et ubique et semper per indifferentiam, ut testatur Philosophus, I Posteriorum,⁶⁰ aliter non esset unum in multis et de multis. Et ideo natura generis est tota in quodlibet suo contento et tota extra quodlibet illorum. Animalitas enim coniuncta rationali est tota in homine, et coniuncta irrationali est tota in bruto; non tamen eodem modo neque secundum idem esse est in quolibet illorum, quia non eodem modo quo coniungitur rationali coniungitur irrationali, sicut non eodem modo quo materia coniungitur uni formae coniungitur aliae. Et licet genus secundum aliquid assimiletur materiae, non tamen simpliciter, quoniam materia est ita pars compositi naturalis quod non est totum respectu illius, genus autem est totum et pars respectu speciei. Forma etiam non tantum est potentia subiectiva in materia, sed etiam respectiva, eo quod aliquando est et aliquando non est in materia; differentia autem, quia semper est in genere, non potest esse in eo potentia respectiva, sed tantum subiectiva.

Ad quartum respondetur concedendo quod numquam dividitur potentia generis quin dividatur genus; non quidem dividitur genus per partes

sicut materia, sed dividitur secundum communitatem eius. Nam essentia generis simplex est, communitas autem et potentia non est simplex natura; et ideo nihil prohibet quod divisa communitate et potentia naneat simplex essentia indivisa.

Verbi gratia, logicaliter loquendo iste conceptus, animal, immediate est communis omnibus animalibus per praedicationem; haec quidem communitas potest dividi eodem numero conceptu manente, dicendo 'omne animal quod est rationale est homo, omne animal quod est irrationale est brutum'. Patet quod conceptus animalis manet idem numero, variantur autem conceptus differentiales et conceptus specifici. Et ex hoc dividitur communitas illius conceptus, animal, quia in nulla illarum propositionum supponit conceptus ille pro omni animali, sed in una solum pro animali rationali et in alia pro animali irrationali, ratione limitationis differentiarum. Dicendo autem 'omne animal est ens', iam retinet ille conceptus, animal, totam communitatem suam, quia supponit universaliter pro omni animali. Quia igitur modi praedicandi sumuntur a modis essendi, et compositioni mentali respondet compositio in re, secundum Philosophum, V Metaphysicae,⁶¹ ita proportionaliter est dicendum de communitate generis quod ipsa dividitur per differentias genere eodem manente indiviso.

Item, dicimus quod ab eodem subiecto fluunt variae passiones et ab eadem anima proveniunt diversae potentiae tam numero quam specie differentes; igitur subiectum manet idem secundum essentiam et dividitur secundum passionem, anima manet eadem secundum essentiam et dividitur secundum potentiam. Quia ergo a genere fluunt variae potentiae respicientes diversas differentias sicut a materia fluunt multae potentiae respicientes diversas formas, ideo genus non dividitur secundum essentiam, sed solum secundum potentiam. Est tamen diversitas in potentiis materiae et generis, quia a materia prima fluit immediate una potentia absoluta de praedicamento qualitatis, ingenerabilis et incorruptibilis

-sicut et ipsa materia ingenerabilis et incorruptibilis est-, quae dicitur esse propria passio materiae sicut risibilitas est propria passio hominis, per quam materia recipit omnes formas naturales. Deinde a materia prima, mediante ista potentia absoluta, fluunt infinitae potentiae respectivae de praedicamento relationis, respicientes infinitas formas generandas, quarum quaelibet corrumpitur in adventu formae, ut determinat Commentator, I Physicorum.⁶² A genere autem non fluit aliqua potentia respectiva neque aliqua una potentia absoluta per quam recipiat suas differentias, sed fluunt immediate duae potentiae per quas genus recipit differentias oppositas dividentes, determinantes et contrahentes ipsum genus.

§13

Assignant autem... 11,21-12,1 . Quarta definitio est haec: differentia est illud quo differunt a se singula.

Haec definitio exemplariter declaratur: nam homo et equus differunt, non quidem per sum genus, quod est animal aut animal mortale, quia in genere illo conveniunt eo quod tam homo quam equus est animal et animal morale -nos enim et omnia irrationalia convenimus in animalitate et mortalitate-, sed homo differt ab equo per rationale, quia in homine invenitur rationalitas, non autem in equo. Sumus ergo animalia mortalia nos et irrationalia, sed rationale nobis coniunctum separat nos ab illis.

Item, homo differt a diis non quidem per sum genus, quod est animal rationale, quia in hoc conveniunt, cum tam homines quam dii sint animalia rationalia, sed differt per mortale, quia nos sumus mortales et dii sunt immortales. Si non essemus mortales conveniremus cum eis tam in rationalitate quam in immortalitate; sed mortale nobis coniunctum separat nos ab illis.

Lege litteram: assignant autem Peripatetici definitionem differentiae et hoc modo: differentia est qua differunt a se singula. Nam secundum

genus homo et equus non differunt; sumus enim mortalia animalia nos et irrationalia, sed additum rationale disiunxit nos ab illis. Rationabiles enim sumus et nos et dii, sed mortale appositum separavit nos ab illis.

§14

De distinctione specierum inter se

Notandum, secundum Burlaeum,⁶³ quod una species non distinguitur per differentias suas ab omni alia specie, sed per suas differentias distinguitur ab omni alia specie contenta sub suo proximo genere, et per genus suum distinguitur ab omnibus quae non continentur sub illo genere. Verbi gratia, dato quod animal rationale sit definitio hominis, homo per rationale distinguitur ab omni alia specie contenta sub animali, scilicet ab equo, bove, capra et huiusmodi; sed per rationale non distinguitur ab angelis, quia angeli non continentur sub animali, sed per hoc genus, animal, homo distinguitur ab angelis. Unde per animal tanquam per medium potest demonstrari quod nullus homo est angelus sic arguendo: nullum animal est angelus; omnis homo est animal; ergo nullus homo est angelus. Cum enim angeli sint rationales, quia uti possunt ratione, impossibile est quod homo distinguatur ab illis per rationale, ergo distinguitur ab eis per suum genus.

Ista opinio est expresse contra Porphyrium et Philosophum, quoniam Porphyrius⁶⁴ dicit hic quod differentia est qua differunt a se singula, ergo quaelibet species a qualibet alia specie differt per differentiam suam; Philosophus autem, VI Topicorum,⁶⁵ et VII Metaphysicae,⁶⁶ vult quod omne definitum a quolibet alio definibili differt per ultimam differentiam, ita quod homo per rationale, si est differentia ultima hominis, differt ab omni eo quod non est homo.

Primo igitur arguitur quod nulla species ab alia specie differt per genus suum, quia aliter genus esset differentia.

Respondet Burlaeus⁶⁷ concedendo quod est differentia large sumpta, non autem stricte accepta.

Sed contra: genus non est differentia communiter dicta, neque proprie, neque magis proprie sumpta, ergo nullo modo est differentia. Pa tet consequentia quia non pluribus modis accipitur differentia secundum Porphyrium. Immo sequitur quod animal est magis differentia quam rationale, quia plura sunt non animalia a quibus differt homo per esse animal quam sint contenta sub animali a quibus differt homo per ratio nale.

Secundo arguitur quod rationale dividens animal nullo modo potest competere angelis, quoniam differentia, cum fluat a genere et educatur de potentia ipsius, ut in praehabitis est ostensum, nullo modo potest exire ambitum generis; igitur rationale dividens animal nulli potest competere nisi illud sit animal; sed angeli non sunt animalia; igitur rationale dividens animal non competit angelis.

Item, si aliqua differentia praedicatur de aliqua specie, necesse est quod genus divisum per illam trahatur ad illam speciem, ut notum est intelligenti terminos; sed animal non potest trahi ad aliquam spe ciam angelicam; ergo rationale dividens ipsum nulli angelo potest com petere. Unde breviter arguitur sic: differentia dividens aliquod genus de nullo per se praedicatur nisi sit individuum aut species illius generis; sed nullus angelus est individuum aut species animalis; igitur de nullo angelo per se praedicatur rationale dividens animal.

Tertio arguitur quod rationale qualitercumque sumptum non potest com petere angelis, quoniam illud est rationale quod potest uti ratione; sed angeli non possunt uti ratione, quoniam ratio est discursus quidam a principiis ad conclusionem, ita quod prius tempore cognoscuntur prin cipia quam conclusio; angeli autem nihil cognoscunt per discursum, sed statim cognito principio cognoscunt conclusionem, alioquin essent muta biles et non actus puri, contra Philosophum, XII Metaphysicae.⁶⁸

Quarto arguitur quod intellectuale competit angelis, quoniam angeli cognoscunt, per Philosophum⁶⁹ in loco allegato, et non cognoscunt per sensum, quia sunt substantiae separatae ab omni materia tam sensibili quam intelligibili, ut probatur ibidem; igitur cognoscunt per intellectum. Patet consequentia, quia non sunt plures virtutes cognitivae quam sensus et intellectus, ut probatur in libro De anima.⁷⁰ Propterea, dicit Commentator, XII Metaphysicae,⁷¹ quod substantiae separatae non habent de virtutibus animae nisi intellectivam et desiderativam.

Dicendum ergo, cum Porphyrio et Philosopho, quod quaelibet species a qualibet alia differt per suam convertibilem differentiam, et non per genus suum. Neque sequitur 'homo est animal; et nulla planta est animal; ergo homo differt a planta per animal', sicut non sequitur 'animal est animal; et nulla planta est animal; igitur animal differt a planta per animal'; homo enim differt a planta per illud idem per quod animal differt a planta. Differt autem animal a planta per sensitivum, quod est differentia eius; ideo homo differt a planta non per animal, sed per sensitivum; differt igitur homo a quolibet quod non est homo primo et per se per suam differentiam convertibilem, per se autem et non primo ab aliquibus differt per differentias superiores virtualiter contentas in ipsa. Differt enim homo a planta per sensitivum, et a lapide per animatum, et ab angelis per corporeum. Et quoniam rationale nulli competit nisi homini, necesse est quod per rationale tamquam per differentiam secum convertibilem ab omni eo differt^a quod non est homo.

Ex quibus sequitur quod 'animal rationale' est vera et completa definitio hominis, quia datur per genus proximum et differentiam ultimam. Mortale autem, cum sit passio animalis, non ingreditur definitionem alicuius quidditativam, quia VI Topicorum⁷² dicit Philosophus quod qui ponit passionem in definitione peccat; non ergo differt homo essentialiter et per se ab angelis per mortale, sed solum per rationale. Por-

phyrius autem, dicens mortale esse differentiam essentialem hominis et rationale esse illud in quo conveniunt homines et angeli, non dixit nisi exemplariter iuxta modum loquendi Stoicorum. Non etiam est verum quod homines et angeli conveniunt in genere animalis quia animal est substantia animata sensitiva, angeli autem neque animati sunt, cum non habeant animam, neque sensitivi, quia non sentiunt propter defectum tactus. Stoici tamen non accipiebant animal ita stricte, sed large pro omni eo quod est voluntarie mobile a se ipso. Dixerunt enim Platonici quod anima est numerus movens se ipsum, et anima movendo se movet corpus; et quia Deus dicitur anima mundi, dixerunt Deum maxime movere se ipsum -quod quidem falsum est et reprobatur VIII Physicorum⁷³ et XII Metaphysicae.⁷⁴

§15

Quaedam dubitatio contra quartam
definitionem differentiae, cum sua responsione

Sed dubitatur contra definitionem differentiae, quia generalissima decem praedicamentorum differunt, ac etiam principia ipsorum, et tamen non differunt per differentias, ex quo non componuntur ex genere et differentia. Immo ipsae differentiae differunt, et non per differentias, alioquin procederetur in infinitum. Igitur differentia non est illud quo differunt a se singula.

Item, si omnia differunt per differentiam et omnia sunt quodammodo infinita saltem quoad nos, igitur infinita differunt per differentiam; constat autem quod cognito uno opposito cognoscitur reliquum, et cuilibet differentiae infinita opponuntur, quia infinitae sunt quodammodo differentiae mediate aut immediate dividentes genus et ipsum trahentes ad singulas species sub eo contentas; igitur cognita una differentia cognoscuntur infinitae.

Respondetur quod Porphyrius intendit de differentia loqui in quan

tum

tum est universale, et per comparisonem ad speciem de qua praedica-
 tur. Intendit ergo quod differentia est universale quo singulae spe-
 cies a se differunt. Haec tamen definitio est falsa de virtute sermo-
 nis, quia nulla est differentia qua singulae species a se differunt,
 quia si aliqua talis esset illa competeret omnibus speciebus. Nulla
 enim species per aliquam differentiam ab alia specie differt, nisi
 illa differentia competat illi speciei; ideo per nullam differentiam
 possunt singulae species a se ipsis differre. Intentio igitur Porphy-
 rii est quod differentia est universale quo una species a qualibet
 alia differt. Quia autem generalissima non sunt species neque princi-
 pia praedicamentorum, neque ipsae differentiae sunt species, ideo ar-
 gumentum primum non procedit. Illud tamen potest solvi per illud quod
 ponit Philosophus, V et X Metaphysicae,⁷⁵ quod diversum in plus se ha-
 bet quam differens, ita quod omne differens est diversum et non e con-
 tra. Quicquid enim ab alio differt convenit cum illo in aliquo commu-
 ni et est diversum ab eo per differentiam intrinsecam. Propterea dif-
 ferentiae, et principia praedicamentorum, et generalissima sunt qui-
 dem diversa, sed non differunt, proprie loquendo; sicut enim albedo
 non est alba, ita differentia non est differens.

Ad aliud dicitur quod non oportet cognito uno oppositorum cognosce-
 re alterum, quia potest cognosci album non cognito nigro. Et concesso
 quod cognito uno oppositorum cognoscitur reliquum, dicitur quod diffe-
 rentiae specierum non proprie opponuntur, ex quo non possunt de aliquo
 individuo simul neque successive verificari, sed dicuntur differentiae
 disparatae. Sicut et ipsae species disparatae sunt et non proprie per-
 tinent ad aliquod genus compositionis.

Iterum, concesso quod omnes differentiae contentae sub eodem gene-
 re opponuntur, non oportet quod cognita una differentia distincte
 omnes aliae distincte cognoscantur, sed sufficit quod universaliter
 et confuse. Neque inconvenit quod infinita cognoscantur universaliter

et confuse; distincte autem non est possibile.

§16

Interius autem... 12,1-9 . Quinta definitio est ista: differentia est illud quod ad esse conducit et est pars essentialis rei. Hanc definitionem dederunt Peripatetici, quoniam profundius speculantes et perscrutantes, viderunt quamlibet definitionem praecedentem dubiam esse et incompletam de virtute sermonis, hanc autem certissimam, per quam certificantur et complentur omnes praecedentes.

Prima enim dicens 'differentia est qua abundat species a genere' potest esse dubia ex eo quia propria passio est qua abundat species a genere; nam propria passio est illud quod species plus habet quam genus. Secunda definitio etiam potest esse dubia, 'differentia est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale', quia accidens commune praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale, quod tamen non est differentia. Tertia definitio etiam est dubia 'differentia est illud quod est aptum natum dividere ea quae sub eodem genere sunt', quia bipes et quadrupes dividunt animal et ea quae continentur sub animali invicem separant, dicendo animalium aliud bipes, aliud quadrupes, et tamen bipes et quadrupes non sunt differentiae de quibus considerat logicus, sed proprietates animalis. Quarta definitio, videlicet 'differentia est qua differunt a se singula', iterum est dubia propter passiones, quibus differunt a se singula; homo enim per risibilitatem differt a quolibet alio, et equus per hinnibilitatem ab omni eo quod non est equus differt.

Arguatur ergo sic: si aliqua illarum quattuor definitionum praecedentium esset certa et completa, maxime videretur tertia, videlicet 'differentia est illud quod est aptum natum dividere ea quae continentur sub eodem genere', quia hoc sonat nomen differentiae; sed illa

non est certa neque completa; igitur etc. Minor probatur, quia illa definitio competit alteri a definito. Unde esse aptum natum ad navigandum dividit animal et ea quae continentur sub animali, dicendo 'animalium aliud aptum natum ad navigandum, aliud non', et tamen aptum natum ad navigandum non est differentia hominis, per quam dividitur ab aliis, sed est proprium eius et quaedam aptitudo. Illud enim quod est differentia alicuius est completivum substantiae eius; constat autem quod aptitudo ad navigandum non complet substantiam hominis, sed eam praesupponit, sicut aptitudo ad ridendum et ad sciendum.

Est ergo danda quinta definitio, videlicet 'differentia est illud quod ad esse conducit et est pars essentialis rei'; haec enim definitio convertitur cum definito, et per eam differt definitum a quolibet alio. Conducit enim differentia genus ad esse per determinationem, et speciem conducit ad esse per constitutionem, cuius est pars essentialis.

Lege litteram: interius autem, id est profundius, perscrutantes et speculantes dicti Peripatetici differentiam dicunt non quodlibet eorum dividendum ea quae sub eodem sunt genere esse differentiam, sed quod ad esse conducit et quod eius quid est esse rei pars est. Neque enim quod aptum natum est navigare hominis erit differentia, etsi proprium sit hominis; dicimus enim 'animalium haec quidem apta nata sunt ad navigandum, illa vero minime', per hoc sumus nos dividentes ab aliis. Sed aptum natum esse ad navigandum non enim est completivum substantiae hominis nec eius pars substantiae, sed aptitudo quaedam est eius. Id circo non est talis differentia aptum natum ad navigandum quales sunt quae specificae dicuntur.

§17

Erunt igitur... 12,9-11 . Ex praedictis Porphyrius describens differentiam specificam dicit "differentia specifica est illa quae alteram speciem facit et quae in eo quod quale praedicatur". Primo quidem differentia specifica alteram speciem facit; non enim differentia accidentaliter alteram speciem facit, sed eam praesupponit, ut est ostensum de aptitudine ad navigandum. Genus autem speciem facit tamquam pars essentialis eius, sed non facit alteram, quia per genus non distinguitur species a specie, ut ostensum est. Differentia ergo specifica est illa quae alteram speciem facit, quia facit unam speciem ab altera differre tamquam principium essentialis eius; et ideo differentia specifica ad esse conducit, quia conducit genus ad esse speciei et speciem ad esse individui, eo quod species est totum esse individui.

Item, differentia specifica praedicatur in quale, non quidem accidentaliter, sed essentialiter, ex eo quia est pars rei tam definitae quam definientis; tam enim species quam definitio componitur ex genere et differentia tamquam ex partibus essentialibus, quarum genus est pars potentialis et differentia est pars actualis, quae sine genere definire non posset. Nam remoto genere amitteret nomen differentiae, eo quod nihil ab alio differt, proprie loquendo, nisi cum illo in genere conveniat, ut asserit Philosophus, V Metaphysicae.⁷⁶ Etiam remoto genere tolleretur definitio, eo quod definitio secundum quod huiusmodi complectitur esse rei a fine usque ad finem, id est a genere usque ad differentiam; genus enim dicitur primus finis in termino a quo, et differentia est ultimus finis in termino ad quem.

Lege litteram: erunt igitur specificae differentiae quaecumque alteram faciunt speciem et quaecumque in eo quod quale est accipiuntur, id est: praedicantur essentialiter in quale. Et concludens Porphyrius finem totius capituli dicit: et de differentiis quidem ista sufficiant, quantum ad considerationem logici, quia si alia sunt dicenda illa per

tinent ad metaphysicum.

§18

De consideratione differentiae

Notandum quod differentia potest multipliciter considerari. Primo in quantum constituit speciem; et sic datur prima definitio, quae est sic intelligenda: differentia est illud per quod species essentialiter abundat a genere. Si enim species per proprias passiones abundat a genere, hoc non est essentialiter, sed accidentaliter.

Secundo potest considerari differentia in quantum praedicatur de specie, et sic datur secunda definitio, quae est sic intelligenda: differentia est illud quod essentialiter praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale. Si enim accidens, ut puta album vel nigrum praedicatur de pluribus differentibus specie in quale, hoc non est essentialiter, sed accidentaliter.

Tertio potest considerari differentia in quantum dividit genus; et sic datur tertia definitio, quae est sic intelligenda: differentia est illud quod est aptum natum essentialiter dividere ea quae sunt sub eodem genere. Si enim aptum natum navigare aut risibile dividit genus, hoc est accidentaliter et non essentialiter.

Quarto potest considerari differentia in quantum aliqua distinguuntur per illam; et sic datur quarta definitio, quae sic est intelligenda: differentia est illud quo una species a qualibet alia essentialiter differt. Si enim species invicem differunt differentia communiter aut proprie dicta, hoc non est essentialiter, sed accidentaliter.

Quinto potest considerari differentia in quantum est universale distinctum a proprio et ab accidente; et sic datur quinta definitio, quae est sic intelligenda: differentia est illud quod ad esse essentialiter conducit et est pars essentialis rei. Si enim proprium aut accidens aliquo modo ad esse conducit, illud non est esse essentialiter, sed

accidentale, et si aliquo modo est pars rei non quidem pars essentia
lis est, sed accidentalis.

Quaelibet istarum definitionum est definiens differentiam specifi
cam, quae est differentia essentialis, et nulla est definiens diffe-
rentiam non specificam, quae est differentia accidentalis. Differen-
tia specifica alteram speciem essentialiter facit; differentia speci
fica alteram speciem essentialiter facit; differentia non specifica
alteram speciem accidentaliter facit.

Ex istis definitionibus sequitur quod differentia est aliquid extra
animam et non solum conceptus mentalis, ut dicunt Ockhamistae,⁷⁷ quia
secluso omni conceptu mentali adhuc homo et asinus essentialiter dif
ferunt. Non enim differunt homo et asinus per conceptus mentales, sed
per suas differentias specificas. Neque aliquis conceptus mentalis
speciem ad esse conducit, neque est pars essentialis rei; ideo sibi
non proprie competit nomen differentiae.

§19

Quattuor argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod differentia non possit de
finiri, quia omnis definitio constat ex genere et differentia; si er
go differentia definiretur differentia haberet differentiam, et proce
deretur in infinitum. Deinde, sola species definitur, per Philosophum,
VII Metaphysicae;⁷⁸ sed differentia non potest esse species; ergo non
potest definiri.

Secundo arguitur quod differentia non praedicatur de specie. Quia
species componitur ex genere et differentia, sicut statua ex aere et
figura, per Porphyrium;⁷⁹ sed figura non praedicatur de statua; igitur
nec differentia de specie. Est enim differentia pars speciei si
cut figura est pars statuae; constat autem quod pars non praedicatur
de suo toto.

Tertio arguitur quod differentia sit accidens. Nam sicut se habet proprium ad speciem, ita differentia ad genus; sed proprium est accidens speciei; igitur differentia est accidens generis. Tenet consequentia cum minori, et maior declaratur. Nam sicut proprium fluit a natura speciei, ita differentia fluit a natura generis; et sicut proprium praedicatur de specie, ita differentia de genere in secundo modo dicendi per se. Sicut enim species ponitur in definitione proprii ita genus in definitione differentiae; sicut enim risibile est homo aptus natus ridere, ita rationale est animal aptum natum ratiocinari.

Quarto arguitur quod differentia non conducit ad esse, quia non conducit genus ad esse, ex quo prius est genus quam differentia, neque conducit speciem vel individuum ad esse, quia quodlibet istorum habet suum esse a forma substantiali; homo enim habet esse per animam intellectivam et equus per sensitivam. Frustra ergo dicitur quod rationale conducit hominem ad esse et irrationale conducit equum ad esse.

Ad primum dicitur quod differentia non definitur vera et propria definitione, sed definitione quae est quaedam descriptio et notificatio. Ideo non sequitur quod differentiae sit differentia; duae enim differentiae non invicem distinguuntur per aliquam differentiam superadditam, sed se ipsis distinguuntur. Et ex hoc non invicem differunt, ex quo non habent differentiam per qua differant. Homo autem differt ab omni specie per differentiam suam; sed non differt a Deo, neque a prima materia, neque ab aliqua differentia. Quoniam si homo differret ab aliquo istorum, in quolibet eorum oporteret dare unum in quo conveniret homo cum illis et unum aliud per quod differret quodlibet illorum ab homine; et sic in eis esset compositio ex partibus diversarum rationum -quod non contingit. Bene tamen distinguitur et diversificatur a quolibet illorum. Unde, quia substantia est medium concludendi quod homo non est quantitas sic arguendo 'nulla substantia est quantitas; homo est substantia; ergo homo non est quantitas', sequitur op

time quod homo distinguitur et diversificatur a quantitate per substantiam; non autem differt a quantitate per substantiam. primo quia substantia non est differentia, sed genus; secundo quia quantitas nullam in se habet differentiam per quam differat ab homine.

Ad secundum negatur consequentia, quia ly 'sicut' non dicit omnimodam similitudinem. Aes enim, figura et statua sunt tria realiter differentia, sed genus, differentia et species sunt unum et idem realiter, differunt autem ratione. Neque dicuntur genus et differentia partes speciei sic quod non sint totum, quoniam animal est quoddam totum et rationale est quoddam totum, sicut homo; sed dicuntur partes quia materia et forma sunt vere partes et invicem realiter differunt -constat autem quod genus sumitur a materia et differentia a forma. Deinde omne compositum constituitur ex duobus, quorum unum se habet ut potentia et reliquum ut actus, secundum quod probatur VII Metaphysicae;⁸⁰ constat autem quod genus significat per modum entis in potentia et differentia significat per modum actus, species vero significat per modum existentia in actu et in potentia. Et ex hoc dicuntur partes speciei.

Ad tertium respondetur quod licet quo ad aliqua ita se habet differentia ad genus sicut proprium ad speciem, non tamen simpliciter. Quoniam proprium fluit a specie tanquam ab eo quod est perfectum, non expectans ulterius essentialiter perfici, sed tantum accidentaliter, differentia vero fluit a genere tanquam ab eo quod est imperfectum, expectans essentialiter perfici per differentiam sicut materia per formam. Non ergo differentia est accidens generis, licet habeat modum accidentis, sed est qualitas eius non accidentaliter sed substantialiter. Ex quo sequitur quod sicut materia magis habet rationem subiecti quam compositum, quia materia subicitur formae substantiali et compositum formae accidentali, neque compositum habet rationem subiecti nisi propter materiam quae est in ipso, ita genus magis habet rationem subiecti

quam species, quia genus subicitur differentiae, quae est forma essentialis, et species subicitur proprio, quod est forma accidentalis, neque species habet rationem subiecti nisi propter genus quod est illia. Sicut ergo omnes formae naturales, tam substantiales quam accidentales, praesupponunt materiam tanquam primum principium omnium transmutabilium, ita omnia accidentia, tam propria quam communia, et omnes differentiae praesupponunt genus tanquam principium primum omnium praedicamentorum. Licet enim detur aliqua prima differentia in ordine essentiali differentiarum secundum sub et supra, illa tamen non est primum principium praedicamenti, sed generalissimum a quo illa differentia fluit.

Ad quartum respondet Burlaeus⁸¹ quod differentia nihil aliud est quam forma substantialis; ita quod rationalitas est anima intellectiva et irrationalitas est anima sensitiva, quae proprie ad esse conducit et est pars rei. Et subdit quod differentia quae significatur in abstracto est magis differentia quam illa quae significatur in concreto; ita quod rationalitas est proprie differentia, rationale autem magis proprie dicitur differens quam differentia.

Ista responsio habet instantiam. Si enim rationalitas nihil aliud est quam anima intellectiva, et Sortes nihil aliud est quam rationalitas, per Commentatorem, VII Metaphysicae;⁸² igitur Sortes nihil aliud est quam anima intellectiva. -quod est impossibile. Deinde, cum differentia praedicetur in quale, non autem praedicatur in quale rationalitas, sed rationale -quia ad interrogationem factam per 'quale est hoc' numquam respondebitur 'rationalitas', sed 'rationale', ideo rationale et non rationalitas est differentia, ad modum loquendi Porphyrii.

Dicendum igitur quod sicut humanitas non est aliqua anima, sed homo, ita rationalitas non est anima intellectiva, sed rationale; differens tamen in modo significandi, quia rationalitas significat per modum essendi in alio, rationale vero significat per modum determinantis aliud.

Et licet secundum modum essendi in alio rationalitas sit magis differentia quam rationale, tamen secundum modum praedicandi rationale est differentia et non rationalitas. Sicut humanitas non est species neque animalitas genus, quia non praedicantur in quid; homo autem est species et animal est genus, quia ista sunt quae praedicantur in quid. Constat autem quod Porphyrius considerat universalia ut habent modum praedicandi de alio, et non ut habent modum essendi in alio, secundum quod in prologo est declaratum.

Ad argumentum ergo dicitur quod differentia licet non conducat genus ad esse simpliciter, tamen ipsum conduit ad esse determinatum, eodem modo quo forma conduit materiam. Et licet tam species quam individuum habeat esse per formam substantialem tamquam per formam partis, adhuc habet esse per differentiam tamquam per formam totius. Sicut enim praeter materiam propinquam necesse est dare materiam remotam, et praeter agens particulare oportet esse agens universale, ita praeter formam particularem necesse est assignare formam universalem. Et sicut non datur solum unum agens universale, sed multa, ita non datur solum una forma universalis, sed multae; differentia enim dicitur forma determinans, genus vero et species dicuntur formae determinatae.